

Please prepare a good literary translation of the entire passage in the time allowed. Use of a dictionary is permitted. Choose one of the two passages.

Time allowed: 2 Hours

PASSAGE I

Secundatur et aliud nobile factum memoria dignum, relatione conspicuum, auctoritate prædicandum. Peracto siquidem magna ex parte opere et compactis novi et antiqui ædificii tabulatis, magnoque deposito quem diu habueramus timore propter illas patulas antiquarum maceriarum rimas, magnorum capitellorum et basium columnas deportantium disruptionem exhilarati deaptare sollicitabamur. Cumque pro trabium inventionem tam nostros quam Parisienses lignorum artifices consuluissemus, responsum nobis est pro eorum existimatione verum, in finibus istis propter silvarum inopiam minime inveniri posse, vel ab Autissiodorensi pago necessario devehi oportere. Cumque omnes in hoc ipso consonarent, nosque super hoc tam pro laboris magnitudine quam pro operis longa delatione gravaremur, nocte quadam, a matutinarum obsequio regressus, lecto cogitare cœpi meipsum per omnes partium istarum silvas debere procedere, circumquaque perlustrare, moras istas et labores, si hic inveniri possent, alleviare. Moxque rejectis curis aliis, summo mane arripiens, cum carpentariis et trabium mensuris ad silvam quæ dicitur Ivilina acceleravimus. Cumque per terram nostram Capreolensis vallis transiremus, accitis servientibus nostris nostrarum [222] custodibus et aliarum silvarum peritis, adjurando fide et sacramento eos consulimus, si ejus mensuræ ibidem trabes invenire quocumque labore valeremus. Qui subridentes, si auderent, potius deriderent; admirantes si nos plane nesciremus in tota terra nihil tale inveniri posse, maxime cum Milo Capreolensis castellanus homo noster, qui medietatem silvæ a nobis cum alio feodo habet, cum sustinisset tam a domino rege quam ab Amalrico de Monte Forti longo tempore guerras, ad tristegas et propugnacula facienda nihil tale illibatum vel intactum præteriisset. Nos autem quicquid dicebant respuentes quadam fidei nostræ audacia silvam perlustrare cœpimus, et versus quidem primam horam trabem unam mensuræ sufficientem invenimus. Quid ultra? usque ad nonam aut citius per fruteta, per opacitatem silvarum, per densitatem spinarum, duodecim trabes (tot enim necessariæ erant) in admirationem omnium, præsertim circumstantium, assignavimus et ad basilicam sanctam deportatas cum exultatione novi operis operturæ superponi fecimus, ad laudem et gloriam Domini Jesu, qui sibi sanctisque Martyribus, a manibus raptorum protegens, sicut facere voluit, reservaverat.

PASSAGE II

Extetit igitur in his diebus apud urbem Parisiacam mulier, quae dicerit incolis: "Fugite, O! ab urbe et scitote eam incendio concremandam." Quae cum a multis inride-
retur quod haec aut sorcium praesagio dicerit, aut qualiqua somniasset, aut certe demonii meridiani haec instinctu proferret, respondit: "Nequaquam est ita ut dicitis, nam in veritate loquor, quia vidi per somnium ad basilicam sancti Vincenti veniente virum inluminatum, tenente manum caecum et domus necutiantum ex ordine succendentem." Denique post tertiam noctem quod haec mulier est effata, inchoante crepuscolo, quidam ex civibus, accensu lumine, in primum est ingressus, adsumptoque oleo haec ceteris quae necessaria erant, abscessit, lumine secus cupella olei derelicto. Erat enim domus haec prima secus portam, quae ad mediam diem pandit egressum. Ex quo lumine adprehensa domus incendio concrematur, de qua et alia adprehendi ceperunt. Tunc cruento igne super vinctus carceres, apparuit eis beatus Germanus, et cum minuens trabem atque catenis quibus vincti tenebantur, reserato carceres ostio, vinctus habere permisit incolomis. Ille vero egressi, se ad basilicam sancti Vincenti, in qua sepulchrum habetur beati antestitis, contulerunt.

Igitur cum per totam civitatem, huc adque illuc flante vento, flamma feritur, totisque viribus regnaret incendium, adpropinquare ad aliam portam coepit, in qua beati Martini oratorium habebatur, qui ob hoc aliquando factum fuerat, eo quod ibi lepram maculosi homines osculo depulisset. Vir autem, qui eum intextis virgultis in sublime construxerat, confisus in Domino nec de beati Martini virtute diffusus, se resque suas infra eius parietis, ambiit, dicens: "Credo enim, et fides mea est, quod repellat ab hoc loco incendium qui saepius incendiis imperavit, et in loco leprosi hominis cutem, osculum medente, purgavit." Adpropinquante enim illuc incendium, ferebantur valedi globi flammarum, qui percucientes parietem oratorii, protenus tepiscebant. Clamabat autem populus viro ac mulierum: "Fugite, miseri, ut evadere possitis. Ecce iam igneum pondus super vos diruit; ecce favelle incendii cum carbonibus tanquam validus imber ad vos usque distenditur. Egrediemini ab oratorio, ne cum eodem incendio concremimini." Ad illi orationem fundentes, nunquam ab his vocibus movebantur. Sed nec mulier se umquam a fenestra, per quam interdum flamma ingrediebantur, amovet, quae erat spe firmissima de virtute beati antestitis premunita.